

juris erat, si quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amissent, trimese duos, aut tres novemdiales; illud quoque animadversione dignum est, solidum ex testamento percipere conjuges potuisse, si uterque vel alteruter eorum nondum ejus etatis fuerit, quæ ad prolem suscipiendam a lege præscripta erat, nempe si vir minor annorum XXV. fuerit, aut uxor annorum XX. minor: item si annos lege præfinitos in matrimonio exceßerint, nempe vir LX. annos, uxor vero L.

Verum tamen si legis asperitas tot tantisque modis mitigata fuerit, tamen iis, qui ex lege matrimonio se junxissent, ac in supremis tabulis amorem, quo constante matrimonio incensi fuerant, uti li testificatione significare vellent, nihil gravius, nihil odiosius accidere poterat, quam liberam testamenti factione privari. Et vero si prolem illis natura denegavit, id certe nulla eorum culpa accidebat; etatem autem a lege præscriptam expectare, nempe ut vir LX. annos attigisset, uxor vero L., id profecto erat fortunæ voluntatem suam committere: nemo enim unius usuram horæ sibi ad vivendum datam esse certo scit. Quamobrem Imperatores secundis conjugibus idem jus, quo illi fruebantur, qui communes liberos habebant, aliquando concesserunt, quod jus commune liberorum dicebatur. S. Augustinus cont. Julian. lib. III. tale jus negatum fuisse docet iis, quorum anni simul ducti & computati centum transiisse dicerentur. Sæpe tamen concessum fuisse discimus ex duobus Ulpiani titulis, quos hætenus exposui; ac Abeina quidem Balbina aliud suppeditat exemplum. Ex iis, quæ dicta sunt, facile intelligere possumus, Abeinam, quum hæc illi posita Inscriptio fuit, nondum quinquagesimum etatis annum attigisse: nullos ex Petinio Apro conjuge liberos procreasse: nullos item ex priori conjugio; Flaminicæ enim univiræ dumtaxat capiebantur, ut Tertullianus testatur de exhort. castit. c. 11. & de monog. c. 17. ac demum ab Imperatore jus commune liberorum, seu jus communium liberorum impetrasse, nempe jus solidi ex viri testamento percipiendi, quod habuisset, si liberos ex illo suscepisset. Quidquid de jure liberorum diximus, mirifice confirmatur a Paulo J. C. lib. IV. Recept. Sent. Tit. 9. §. 9. ait ille: Jus liberorum mater habet, quæ tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit; habet cui superfuni: habuit, quæ amisit: neque habet, neque habuit, quæ beneficio Principis jus liberorum consecuta est; cujus periodi ultimum membrum, casum in Inscriptione nostrâ memoratum representat.

Nomen Imperatoris, qui Abeinæ jus commune liberorum concessit,

M

con-